

De Civitatis Crisiensis Unione.

Articulus 95.

Articulus 127. Anni 1715. in hac materia conditus renovatur.

§. 1. In Locum moderni Domini Comitis Episcopi Zagrabiensis (si comode adesse non poterit) Praepositus, aut alter e gremio Venerabilis Capituli Zagrabiensis, per modofatum Dominum Episcopum denominandus constituitur; Reliquis in eodem praecitato Articulo denominatis Commissariis, in suo Characterere manentibus:

§. 2. Qui mox finita Diaeta, delegata sibi eatenus Commissione fungentur, examinatisque et cognitis utriusque ejusdem Civitatis Juribus, ante effectuationem Unionis, universa Partim inibi producenda Jura revideant et an ejusmodi Unio, absque convulsione Jurium et Privilegiorum unius, vel alterius ex praedictis Civitatibus fieri possit? cum Voto et Opinione suis, medio Inclytae Ungarico - Regiae Aulicae Cancellariae, praelibatae Suae Sacratissimae reportabunt. *)

CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM III., ANNO DOMINI 1729.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De amotione Judaeorum, tam ex Confinio Sancti Georgii; quam et aliis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Locis.

Articulus 19.

Singularem Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Status et Ordines, de praesenti quoque Suae Majestatis Sacratissimae experti clementiam; quod Judaeos, in Confinium S. Georgii non ita pridem admissos, tam inde, quam et aliis praerecensorum Regnorum ex Locis (si quae adhuc subintrassent) amovendos, suo loco, clementer demandare sit dignata:

§. 1. Pro qua, altememoratae Suae Majestatis Sacratissimae Clementia; iidem Status et Ordines, immortales reponunt gratias.

De effectuatione Articuli 114. An. 1715. in eodemque citatorum.

Articulus 20.

Quod Sua Majestas Sacratissima benigne resolvere dignata sit; semet congruum ordinaturam remedium, ubi specifici repraesentati extiterint Casus, in quibus

*) Confer; An. 1741. a. 57.